

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XCII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XCII.

**S**cribendi officio erga te, vir reverende & charissime frater, rarius defungor, non quod parum diligam, aut non cupiam familiariter vel per literas commentari, sed quia novi occupationum tuorum multitudinem & gravitatem, quas cenſeo non interpellandas, niſi cum neceſſe eſt. Petiit à me ſingularis Amicus & frater, Doct. Jo. Boynus, ut pro filio ipſius nomine apud te inſcedam, ut quem veller ex Gallia Lugduno ad Germanos, maxime veſtram civitatem, tranſferre. Profeſſione Medicus eſt, in hac urbe educatus, ſtudiaque perfeſtus in Academia noſtra, qua poſtmodum in Italia complevit, non ſine ſingulari ſucceſſu. Lugduni praxim exercuit, jam annis aliquot, idq; etiam tum, cum peſtis violentiſſime graſſaretur, & ſeſe contagii metu ſubduxiſſent reliqui. Ac ut laudem inde retulit, quod pro ſua pietate, non divitibus modo ſed pauperrimis etiam & fidelem & frugiſeram operam praſtituſſet, ita non reſpondet perinde gratitudo. Tum quod Magiſtratus paſtiſticus ne ad minima quidem honoraria ullum admittit non ſua farina; paſtores item & ſeniores, quos vocant, Eccleſiae Evangelium profitentis, moleſte ipſum ferunt, quod non videatur plenum cum ipſis in religione conſenſum fovere, & ad Germanicarum eccleſiarum doctrinam inclinare. Et quanquam non utatur iniqua fortuna Lugduni, ſtatuit tamen, idque Patris meoque conſilio, eò commigrare, ubi quod religionem attinet pacatior ſit. Et niſi hic abundaremus Medicorum copia, ex quibus nonnulli nimis ſuſtinentur tenuiter, non alio ſe reciperet: qua cauſa eſt ut cupiam eum tibi commendatum. Novi, eſſe eruditum, timentem Dei, & ex ſolido ſincerum & fidelem, quem ſi conſilio operaque juveris, facies officium pium, Mihi patrique Viro optimo, & ejuſdem cum filio profeſſionis, gratiſſimum. Cupio autem de conſilio tuo certior fieri, ubi primum occaſio fuerit. De Scripto tuo ſententiam meam pridem ſcripſi. Interea legi Eraſti libellum, parum meo iudicio conſiderare ſcriptum: ſplendidam bilem egregie redolentem, quo tantum abeſt, ut vel apud mediocriter imbutos, cauſa veritati detrahat, ut eam potius confirmet: reliquorum, ut Oleviani, Silvani & Lagi, vidi quidem, ſed legere non vacavit; qui ſi cum Eraſto paria faciunt, dabunt delicias iis, quibus aures pruriant, cordatis verò omnibus diſplicebunt. Te interim vehementer hortor, ut quum te ad deſenſionem juſtam comparas, ne facias cum illis paria, ſed & gravitate & modeſtia Theologica cauſam agas Chriſti, non tuam, quod ut poſſis, non deſinam tecum ſerio ardentemque praecari. Cherlerus noſter uxorem duxit conſilio meo interventuque, & ſpero ex Dei gratia bene eſſe illi proſpectum, amatur juvenis à me vehementer, ſic enim merentur virtutes ipſius. Vale in Chriſto JESU, cum uxore & ſymmiltis omnibus, quos cupio verbis meis amanter & reverenter ſalutes. Salutat te Coccius. Baſil. die 16. Novembr. an. 65.

T. Sulcerus.

XCIII.